



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

4 Quid sit, vel in quo consistat ratio causandi, seu causalitatis causæ
finalis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94135](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94135)

SECTIO IV.

Quid sit, vel in quo consistat ratio causandi seu causalitas causa finalis.

Non inquirimus nunc rationem causandi in actu primo, ut sic dicam, seu id quod in finali causa est proxima ratio, qua potens est ad sic causandum, de hoc enim dicemus sect. sequent. sed inquirimus causationem ipsam in actu secundo. Quid nimirum sit, & ubi seu in quo subiecto vel effectu sit: hoc enim, cum in ceteris causis ad explicandum sit difficile; in hac re vera est difficillimum, quia non apparet, quæ res, vel quis modus realis esse possit hæc causalitas: quod si nihil horum est, nec realis causalitas esse poterit.

Prima sententia expenditur.

Vidam ergo ab hac difficultate se facile expedire, causalitatem hanc nihil aliud esse, nisi quod actio vel effectus fiat propter finem, seu gratia finis. Aristotel. enim non aliter explicuit hanc finis causalitatem, nisi dicendo esse id cuius gratia aliquid fit. Vnde Caietan. 2. 2. quæstione 17. artic. 5. optime docet, quod sicut in agente est ratio agendi, quæ est in ipso, & effectus, & causalitas, quæ est quali media inter rationem agendi & effectum, ita in fine sunt illa tria, ratio finalis, finalis actio, & effectus. Ait verò, finalisationem esse quid innominatum, solumque significari per hæc verba, esse id cuius gratia seu fieri propter aliud, neque posse causalitatem hanc amplius explicari, neque intelligi quid aliud sit: neque etiam ubi sit. Nam si dicatur esse in voluntate, contra hoc est in primis, quia hoc nec saluari potest in voluntate Dei, neque in naturalibus agentibus, quæ etiam operantur propter finem. Et deinde inquirendum est in nostra voluntate quid illud sit, nam vel est aliquid antecedens actum elicitem ab ipsa voluntate & hoc non iuxta veram, & sanam doctrinam, quia in voluntate nihil recipitur ante actum ab ipsa elicitem, ut supra satis probatum est agendo de concursu primæ causæ. Omitto habitus supernaturales, qui aliquando infunduntur ante omnem actum, quia illi habent locum potentia, vel complement illam, & ita non veniunt in præsentem considerationem. Item, quia si quid reciperetur in voluntate, deberet habere aliquod principium efficiens extra ipsam, quod nullum est præter ipsam causam finalem, hæc autem ut sic non est activa: alias confunderentur causalitates. Præterquam quod finis sine reali esse haberet efficientiam. Et ideo Aristotel. merito dixit 1. de Generat. text. 55. *Causa cuius gratia cetera fiunt, activa non est, & sanitas ipsa non est activa nisi per translationem*: Nec vero dici potest, illud principium esse intellectum, vel actum eius, quia improbable est intellectum se solo posse aliquid imprimere voluntati: & deinde explicari non potest quid illud sit. Et præterea est id parum consentaneum libertati voluntatis. Aut vero illud quod in voluntate dicitur esse causalitas finis, est ipsemet actus voluntatis: & hoc non quia hic est effectus, causatio autem debet esse aliquo modo distincta ab effectu. Accedit præterea, quod in actibus imperatis non poterit explicari quid sit hæc causalitas, quia in huiusmodi actibus nihil immediate in fluit ipse finis: multoque minus explicari poterit in effectibus Dei, & naturalium agentium.

Hæc sententia in eo magnam difficultatem habet, quod rem non declarat, nam per illa verba, *id cuius gratia* non tam declaratur causalitas finis, quam denominatio quædam resultans in ipso fine

ex eo, quod aliud ad ipsum ordinetur: quæ denominatio non potest esse causalitas, tum quia non est aliquid rei in effectu, sed aliquid rationis in causa, seu denominatio extrinseca, quod item est: quod enim Deus sit id cuius gratia res sit, non est aliquid intrinsecum in rebus, neque in Deo ipso, sed est denominatio extrinseca Dei à rebus ipsis desumpta. Tum etiam quia in illis verbis, non significatur finis ut principium, sed potius ut terminus: & ideo non significatur emanatio aliqua vel influxus causæ finalis in effectum, quod videtur esse de ratione omnis causalitatis. Et confirmatur primo, quia alias in omni motu respectu sui termini esset propriissima causalitas finis, & in omni actu respectu sui obiecti: consequens est falsum: ergo. Sequela patet, quia terminus est id cuius gratia est motus, & obiectum cuius gratia est actus. Minor verò patet, quia alias causalitas finis non magis conveniret obiecto voluntatis quam aliarum potentiarum: nec magis esset in rationali motione, quam in naturali. Vnde confirmatur secundo, quia alias, quamdiu res est gratia alicuius finis, tamdiu actu causaretur à tali fine, ut potentia visiva, quæ est propter actum videndi, vel propter obiectum visibile, semper actu causaretur ab illo fine, quia semper durat illa denominatio, quod hæc potentia est propter suum actum, vel obiectum: quæ denominatio manere potest, vel ex actione præterita, vel ex naturali propensione potentia in suum actum vel obiectum. Consequens autem est falsum, quia actualis causalitas finis, non est fine actuali causalitate agentis, ut statim dicam, per illam ergo denominationem non satis declaratur causalitas finis. Præsertim quia omnes ponunt hanc causalitatem in motione Metaphorica, quæ non satis declaratur per sola illa verba, nisi res amplius exponatur.

Expenditur secunda sententia.

Secundus modus explicandi hanc causalitatem esse potest, illam esse quandam Metaphoricam motionem: quod ita in communi sumptum est ex Arist. 1. de Gener. c. 7. & D. Thom. 1. 2. q. 1. art. 1. & aliis locis quæ statim referam. Tamen in modo explicandi hanc motionem, est singularis hæc sententia: dicit enim, hanc motionem talem esse, ut ex se antecedat actum à voluntate elicitem: non solum natura, sed etiam tempore, quia hæc motio naturali quadam necessitate resultat ex causa finali sufficienter propolita: actus autem voluntatis in eius manet libertate. Vnde licet hæc motio respectu ipsius causæ finalis sit veluti actus secundus, tamen respectu voluntatis se habet ut actus primus. Quod explicatur & probatur in hunc modum, nam hoc ipso quod bonitas finis sufficienter est cognita & voluntati propolita, excitat illam, & quantum in se est, trahit eam ad sui amorem, voluntas autem, eo quod libera sit, potest suspendere suum proprium actum, ergo hæc motio finis est distincta ab ipso actu voluntatis, & antecedit illi, ergo in hac motione consistit propria causalitas finis. Antecedens experientia constare videtur, & fundamentum eius videtur esse positum in Sympathia quadam naturali, quæ est inter intellectum & voluntatem, quatenus in eadem animæ essentia radicanter. Prima vero consequentia per se nota est, secunda autem patet, quia nulla alia ratione videtur intelligi posse hæc causalitas, tum quia quod proximè sequitur post hanc motionem in voluntate, est aliquis actus eius, qui, ut supra dicebam, non est causalitas, sed effectus causæ finalis: tum etiam quia seclusa hac motione, in reliquis, finis non se habet ut causa, sed potius ut terminus specificans, qui potius participat causalitatem formæ quam habent omnia obiecta, quæ specificant actus quarumcunque potentiarum.

Hæc

IV.

V.

Hæc vero sententia in primis est aliena à mente D. Thom. ubique ponit causalitatem finis in hac motione Metaphorica, nam q. 22. de verit. art. 2. explicans hanc motionem inquit, *Sicut influere causa efficiens est agere, ita influere causa finalis est appeti seu desiderari: ubi clare sentit non esse in actu influentiam causæ finalis, donec voluntas moueatur appetendo seu desiderando. Idem sentit q. 5. de potent. art. 1. Et ratione probatur, quia est aperta repugnantia quod sit finis causans in actu secundo; & quod non sit aliquid actu causatum, sed antequam voluntas eliciat actum, nihil est causatum in ipsa; ergo neque causalitas finis potest esse in actu secundo. Maior patet, tū quia causare & causari sunt correlatiua, tum etiam quia realis causalitas ad aliquid reale terminari debet, & in sese debet esse aliquid reale, aliàs esset nihil: si ergo in voluntate nulla res noua, vel operatio aut effectio inest, neque actualis causalitas finis in illa esse potest: neque etiam est in intellectu, ut per se constat: ergo intelligi non potest talis causalitas finis ante omnem actum voluntatis. Et confirmatur primo, quia finis non causat in actu, nisi agens etiam actu efficiat, nam, ut dixit Aristoteles 3. Metaph. capit. 2. text. 3. *finis, & id cuius gratia, alicuius actionis est finis*: & ideo dixit idem Aristot. 1. de Generat. capit. 7. cessante actione sistere etiam finalem causam: ergo eodem modo prius tempore, quam actio agentis inchoetur, non potest esse in actu secundo causalitas causæ finalis, sed antequam voluntas eliciat actum, nulla causa efficiens mota à fine aliquid actu agit, & è contrario nihil etiam actu fit propter finem: ergo neque ipse finis aliquid actu causat in voluntate. Vltimo confirmatur declarando rem ipsam, nam antequam voluntas moueatur eliciendo proprium actum, solum est obiectum bonum seu finis representatus per cognitionem seu iudicium intellectus: in voluntate autem nihil est quod antea non esset, ergo in toto illo tempore nulla est excitatio distincta à iudicio: ipsum autem iudicium non est causalitas, sed sufficiens ad proximum finis ut causare possit: ergo non potest intelligi causalitas finis in actu posita ante actum voluntatis. Maxime cum neque illa causalitas versari possit circa ipsam potentiam, cum ipsa nondum aliter se habeat, sed immutata maneat, neq. circa actum ipsius voluntatis, cum ille nondum sit.*

VI.

Dicit fortasse aliquis, has rationes concludere, hanc causalitatem finis esse aliquid nouum in ipsa voluntate, quod sit proprius actus elicitus seu consensus liber eius: nihilominus tamen esse posse nouum aliquem modum se habendi, vel ut clarius dicamus, esse aliquem simplicem effectum, per quem sit actualiter & vitaliter propensa in finem, ut illum amet, vel intendat. Sed hoc non est constanter dictum in illa sententia, nam talis affectus, quacunque ratione fingatur in voluntate, non potest esse non elicitus ab illa, aliàs non potest esse vitalis motio aut affectio, sed erit qualitas aliqua per modum habitus vel actus primi, quæ nulla ratione fingi aut cogitari potest, ut satis probant rationes hæcenus factæ. Si autem ille motus est elicitus à voluntate, ille est quidam actus voluntatis: non ergo datur causalitas finis ante actum voluntatis.

VII.

Quod, si dicatur, illum actum esse imperfectum & per modum velleitatis, ut vocant, secundam autem sententiam, quam examinamus, esse intelligendam de perfecto actu & consensu. Contra hoc obstat primo, quod ille actus, qualiscumq. sit est quidam effectus ipsius finis: ergo non est causalitas finis: vel si in illo distingui potest causalitas ab effectu, idem dici poterit de primo actu perfecto & consummato, neque erit necessarium recurrere ad talē actū imperfectum. Obstat secundo, quia causalitas quam finis exercet circa talem actum in illo habet suū propriū effectum, & ideo illa non est causalitas propria & ne-

cessaria ad alium actū consummatum & perfectum, quam inquirimus, sed solum erit occasio & dispositio quædam ad illum ulterio. em effectum. Tandem obstat, quia vel ille actus simplex est necessarius, aut liber: si est liber, ergo neque semper resultat ex sufficienti propositione finis, ut illa opinio dicebat, neq. etiā oportet, ut semper antecedat ante effectum consummati actus amoris, vel intentionis finis: non est ergo per se necessarius ad causalitatem finis, neq. in illo potest talis causalitas consistere. Si vero ille actus naturaliter sit, & absque libertate, multo minus esse potest per se requisitus ad causalitatem finis circa actum liberum & perfectum: huiusmodi enim actus vel modus imperfecti insurgunt in nobis ex coniunctione appetitus, vel ex aliqua superiori causa praueniente deliberationem nostram, & ideo solum sunt viles vel necessarii hi actus, supposita aliqua imperfectione nostra, per modum dispositionis vel excitationis: non vero quia per se sint ad causalitatem finis requisiti. Vnde in angelis, in Christi anima, in B. Virgine, & aliis fuit perfectus modus operandi ex causalitate finis, absq. huiusmodi actibus.

Tertia sententia proponitur, & sustentur.

EST ergo tertia sententia, quæ constituit etiam hanc finis causalitatem in motione Metaphorica. Addit vero, huiusmodi motionem non poni in actu secundo, nisi quando voluntas ipsa in actu secundo mouetur, & quando sic ponitur, in re non esse aliquid distinctum ab ipsa actu voluntatis. Sed sicut supra dicebamus, vnam & eandem actionem prout fluit ab agente, esse causalitatem eius: ut vero inest materiæ, esse etiam causalitatem eius: circulatoriam: ita aiunt vnam & eandem actionem voluntatis causari à fine & à voluntate ipsa, & prout est à voluntate, esse causalitatem effectiuam, prout vero est à fine, esse causalitatem finalem, & priori ratione esse motionem realem ac propriam, quia talis actio manat à potentia, ut à proprio principio physico, posteriori autem ratione esse motionem Metaphoricam, quia manat ab obiecto alliciente, & trahente ad se voluntatem. Hæc sententia sumitur ex D. Thom. citatis locis, & 1. 2. q. 9. artic. 1. ubi ait finem mouere Metaphorice voluntatem, sentiens in hoc consistere causalitatem eius, quamuis non ita expresse declarat. Tamen ex lib. 1. cont. Gentil. c. 75. art. 5. id clarius sumi potest, ait enim D. Thom. *causalitatem prout in hoc consistere, quod propter illum alia desiderantur*. Ex quib. verbis colligo desiderium ipsum, quo aliquid propter finem desideratur, quatenus est à fine, vocari à D. Thom. causalitatem finis. Rursus quod causalitas finis in hac motione Metaphorica consistat, communis est loquendi modus apud auctores, ut patet ex Auicena lib. 6. suæ Metaphys. tract. 5. capit. 5. Alberto 5. Metaph. tract. 1. c. 3. & Heruzo quodlib. 1. q. 1. & clarius q. 8. §. Ad rationes. Sonc. 5. Metaph. q. 1. Sumitur etiam ex Alensi 1. p. q. 17. membr. 3. Nullus tamē ita clare & expresse prædictam declarauit sententiam, sicut Oham in 2. q. 3. art. 2. ubi ait, causalitatem finis esse mouere efficiens ad agendum: illud autem mouere, non esse aliud nisi ipsum finem amari ab agente, vel aliquid propter ipsum. Vnde inferius respondens ad quoddam dubium, ait, non esse prius tempore causationem finis quam motionem agentis saltem per amorem aut volitionem qua vult effectum exequendum propter finem, vel finem ipsum propter se.

Ratione videtur satis probari hæc sententia impugnationibus aliarum, & à sufficienti partium enumeratione, quia nihil aliud cogitari potest, quod sit causalitas finis: neq. etiam est aliud necessarium, ut intelligatur voluntas moueri à fine in finem, & vultus eius habeat dependētiā à fine ut finis est: ergo in eo

in eo tantum, quod hæc sententia affirmat, consistit hæc causalitas. Confirmatur ac declaratur à simili, nam actus potentie cognoscitur pender, & ab obiecto, & à potentia: unde causalitas tam obiecti quam potentie nihil aliud est, quam ipsamet actio quatenus fluat ab obiecto & à potentia, nam ut est ab obiecto, dicitur causalitas eius, ut vero est à potentia, est causalitas illius: sic igitur actio voluntatis simul ac fit, necessario pender à voluntate, & à fine: illa ergo eadem actio quatenus est à voluntate, est dependentia actiua ab illa, quatenus vero est à fine, est dependentia finalis. Est enim quoad hoc diuersitas inter finem & obiectum potentie cognoscens, nam obiectum potentie cognoscitur concurrir efficienter ad actum eius mediante aliqua forma reali, qua illi coniungitur, vel per suammet entitatem, si per illam possit ei vniri: bonum autem voluntati propositum, solum finaliter concurrir ad actum eius, quia solum mouet metaphorice attrahendo, propositum per cognitionem, etiam finaliter in re non existat.

Quarta sententia reijcitur.

X. Snt vero qui dicant, hanc causalitatem finis non esse actionem voluntatis, ut dependentem à fine, sed contrario esse ipsummet finem per intellectum obiectiue propositum, ut influentem in suo genere, seu concurrentem ad actum voluntatis. Quod si inquiras, quid sit concursus ille, vel quid addat supra ipsum finem, respondent nihil ei intrinsecum addere, sed connotare actuali dependentiam effectus à tali causa. Sed, licet hic modus dicendi in hoc cum precedenti conueniat, quod in hac causalitate nullam aliam rem interuenire dicit præter ipsum finem voluntati obiectum medio intellectu, & actum vel affectum inde resultantem in voluntate, & denominationes inde insurgentes, quibus & finis dicitur causare actum, & actus pendere à fine, nihilominus tamen in eo displicet, quod ipsum finem dicit esse suam causalitatem, seu concursum suum ad actum, quia concursus nunquam significat causam ipsam, sed aliquid quod proximè profluit à causa in suo genere, quo causet effectum, siue illud distinguatur aliquo modo in re ipsa ab effectu, siue tantum ratione, quatenus concipitur, ut quo & quod. De qua re diximus supra tractando de causalitate causæ efficientis, est autem eadem proportionalis ratio de finali. Imò in hac est quodammodo maior ratio, quia finis in re causat non existens actu, sed tantum obiectiue in intellectu.

XI. Sed aiunt etiam non esse necessarium, ut concursus finalis causæ realiter existat, quando ipsa actu causat, sed satis esse, si existat obiectiue. Hoc tamen non recte dicitur, quia esse obiectiue tantum est cognoscere: ac vero ut causa finalis actu causet, non est necesse concursum eius actu cogitari aut cognosci, sed sufficit cogitare de bonitate talis causæ & e converso, quamuis ille concursus sit in esse obiectiue per formalem ac expressam cogitationem de illo, & de eius conuenientia, id satis non est, ut effectus ponatur in voluntate, ut per se constat, quia stante tota illa cogitatione potest voluntas non moueri. Igitur licet causa finalis secundum suum esse, aut bonitatem suam sit tantum obiectiue in intellectu, tamen ut actu causet, oportet ut actualis concursus eius in re ipsa ponatur, quia hic concursus in re non est aliud à dependentia effectus à sua causa, ut autem causa actu causet, oportet ut effectus in re ipsa actu causetur, ergo & quod dependeat realiter à causa, ergo & quod concursus actualis, seu, quod idem est, dependentia actualis in re ipsa existat, & non tantum in intellectu, imò hoc posterius est impertinens. Quia vero hæc dependentia huius effectus causæ finalis ab illa solum consistit in intrinseca quadam habitudine ad talem causam, quæ habitudine in re ipsa existere potest, &

Franc. Sagar. Metaph. Tom. I.

terminari ad causam, ut existentem tantum obiectiue in intellectu, inde est, quod possit causa finalis actu causare existentem tantum obiectiue, non possit autem causare actu, nisi causalitas eius existat realiter, per habitudinem ad ipsam causam obiectiue existentem.

Tertia sententia eligitur, & resoluitur questio.

XII. Vnde ex impugnatione huius vltimæ sententiæ magis explicata & confirmata manet tertia, quæ sine dubio vera est, & optimè satisfacit quoad hunc effectum, quem finis habet intra voluntatem creatam, & quoad causalitatem eius. Neque contra illam quicquam obstat obiectio supra facta, quod actus voluntatis potius est effectus, quam causalitas finis. Nam in primis in ipsomet actu voluntatis possumus distinguere actionem ab actu, & actum dicemus esse effectum, actionem vero quatenus in suo genere est à fine, esse causalitatem eius, sicut proportionaliter dicendum est de causalitate effectiua. Deinde etiam si in illo actu non distinguantur ex natura rei illæ duæ rationes, sed fingatur esse pura actio, nihilominus non repugnat, ut eadem res, quæ est effectus causæ, in eo genere, in quo est effectus, sit etiam causalitas, quando ille effectus est ipsamet actio, sufficitque distinctio rationis, ut distinguantur per modum causalitatis, vel per modum effectus, sicut in causalitate actiua manifestè constat.

XIII. Difficilius videri alicui potest, quod eadem omnino res, seu realis modus sine vlla distinctione in re sit causalitas finis & efficientis, cum tamen istæ causæ diuersarum rationum sint. Sed si considerentur superius dicta de causalitatibus aliarum causarum, cessabit admiratio. Nam etiam eadem vnio diuersis respectibus est causalitas materiæ & formæ, licet illæ causæ diuersarum rationum sint: imò eadem mutatio ut est actio, est causalitas agentis, ut vero est passio, est causalitas materiæ, quamuis actio & passio re non distinguantur, & similiter eadem actio diuersis respectibus est causalitas primæ causæ & secundæ. Et ratio est, quia vna & eadem actio per se ipsam potest immediatè causari à multis causis, ab vnaquaque in suo genere: atque ita mediante illa, causatur effectus ab eisdem causis, ideoque per comparisonem ad vnamquamque earum est causalitas vniuscuiusque, & e contrario est propria dependentia talis effectus à tali causa.

XIV. Altera difficultas explicanda manet, quia licet hæc ratio explicandi causalitatem finalem satisfaciat quoad actus elictos à voluntate creata, non tamen satisfacit quoad actiones imperatas, & effectus exteriores seu transeuntes (ut interim omittamus voluntatem diuinam, & actiones naturalium agentium, de quibus infra dicturi sumus) videtur ergo, superiorem sententiam & doctrinam non posse applicari ad prædictas actiones & effectus, quia causa finalis non mouet metaphorice potentias subiectas voluntati, sed solum ipsam voluntatem, quæ postea non finaliter, sed effectiue mouet aut applicat inferiores potentias ad actiones earum: ergo finis ut sic nullam propriam causalitatem habet in has actiones, vel illa non consistit in tali motione Metaphorica.

XV. In hac re in primis statuendum est effectus exteriores, qui per has actiones producuntur, in tantum esse posse effectus causæ finalis, in quantum actiones, per quas fiunt, causantur aliquo modo in suo genere à causa finali, & ab ea pendent, quia, ut supra cum Aristotele dicebamus, causa finalis non causat actu, nisi quando agit actu aliquid propter finem. Vnde sicut effectus factus ab agente, si ab eo non pender in conseruari, sed tantum in fieri, cessante actione iam non causatur, sed causatus est, ita idem effectus prout est causatus à fine, propter quem factus est, cessante omnino

Z z

omnino

omnino actione agentis propter finem, iam non causa tur à fine, sed causatus est, & manet ordinatus in finē, vel per intrinsecam habitudinem seu propensionem, vel per extrinsecam denominationem seu relationē ab actione præterita.

XVI.

Relinquitur ergo tota difficultas circa actiones imperatas, nam eo modo, quo illæ causatæ fuerint à fine, erūt causalitates eiusdem finis respectu effectuum seu terminorum, nam per illas penderunt huiusmodi effectus à causa finali, & solum ratione illarum dicentur fieri propter talem finem.

XVII.

De ipsis ergo actionibus imperatis dici potest, quāvis physicè & secundum entitatem actio externa sit distincta ab interiori actu voluntatis, tamen in ratione actionis, & in ordine ad causalitatem finis habere rationē vnius, & ab eadem causalitate seu Metaphorica motione oriri, quia finem, v.g. metaphorice mouere ad volendum scribere, & ad descriptionem ipsam, non sunt duo, sed vnus & idem, quia illa duo ita sunt connexa, vt separari non possint, loquor enim de volitione, quæ est per modum vsus, & proxime imperat actionem externam scribendi. Vnde vltius dici potest, causalitatem finalem, quam diximus esse in actu interiori, & cum ipsa actione elicitā identificari, esse simul causalitatem ipsius actus interioris & exterioris, qui cum illo necessariō coniungitur, quamuis diuerso modo, nam respectu interioris se habet proxime & intrinsecè, respectu vero exterioris, magis extrinsecè & remotè. Neque propter hanc rationem dicitur finis causa per accidens externæ actionis, cū omnino necessariō ac per se sequatur ex causalitate eius, & ipse ita moueat voluntatem, vt simul, & per modum vnius moueat ad executionem actionis imperatæ à voluntate. Neque etiam obstat, quod huiusmodi causalitas nihil addat actioni exteriori, nisi denominationem extrinsecam, quia talis actio non dicitur effectus finis solū, quia illa denominatio extrinseca est à fine, sed quia ipsa mer actio prout hic & nunc fit, re vera procedit ex motione finis in suo genere, etiam si posset illa actio exterior physicè & entitatiue sumpta, fieri absq. illa motione Metaphorica, & propria causalitate finis, quia solum mediante actione interna à tali causa procedit. Eò vel maxime, quod hæc causalitas quodammodo est moralis, & quasi artificiosa & intellectus, & ideo non est in omnibus æquiparanda cum causalitate efficiētis, quæ est magis Physica & realis. Atq. ita simul responsum est difficultati tactæ in fine sectionis præcedentis, & in hunc locum remissa.

XVIII.

Vltimò addi potest, ipsam actionem imperatam eo modo, quo hic & nunc à tali agente progreditur, esse & effectum causæ finalis per modum actionis, & causalitatem eius respectu rei factæ propter illum finem per eandem actionem, nam illa mediante pender ille effectus à tali fine, & nihil aliud est esse causalitatem, quam esse quasi viam, qua pender effectus à causa in tali genere causæ. In hac autem dependentia non est considerandus effectus quasi materialiter, vt est talis res: sic enim non semper requireret illam dependentiam per talem causalitatem, vt per se necessariam ad suum esse, sed considerandus est formaliter, quatenus est effectus hic & nunc tali modo factus, quomodo necessariō includit ordinem ad talem actionem, & ad modum agendi talis causæ. Atque ita hæc responsio ferè coincidit cum præcedente, & vtramque melius explicabimus inferius, declarando causalitatem finalem in effectibus Dei.

S E C T I O V.

Quenam sit in fine proxima ratio finaliter causandi

I.



Ensus præsentis quæstionis ex superiori constat, non enim inquirimus rationem causandi, quatenus dicit causationem in actu secundo, sed quatenus di-

cit actum primum quasi formalem, constituentem causam finalem proximè aptam, & sufficientem ad causandum. Sicut enim in causa efficiēte distinguimus rem, quæ causat, à proxima ratione causandi, ita in finali videtur necessarium, quia eadē omnino res potest esse, & principium efficiens, & causa finalis & formalis, oportet ergo, vt sub diuersis rationib. hæc munera exerceat: ergo illa ratio sub qua e. creet omnis causæ finalis, erit, quæ proxime constituit finalem causam, quali in actu primo.

Resolutio quæstionis.

DE hacigitur re communis consensus Doctorum omnium esse videtur, bonitatem esse proximam rationem, sub qua finis mouet: atque ita illam esse, quæ constituit finalem causam, dans illi (vt ita dicam) virtutem ad causandum. Ita sentit D. Thomas 1.2. quæst. 1. artic. 1. & latius 3. cont. Gent. c. 2. & 3. Vbi ostendit, idem esse operari propter finem, quod operari propter bonum, & 1. p. q. 5. artic. 4. probat bonum habere rationem finis, & ibidem solutione ad secundum de hac causalitate declarat illud Dionysij, cap. 4. de diuin. nom. Bonum est diffusiuum sui, nimirum, finaliter attrahendo & alliciendo voluntatem. Eandem doctrinam habet Alex. Alenf. 1. p. quæst. 17. memb. 3. & quæst. 34. memb. 1. sumptaque est ex Aristot. 2. Phys. cap. 3. text. 31. vbi dicit finem, & bonum esse idem, quod etiam repetit 5. Metaph. cap. 2. & lib. 1. Ethic. cap. 7. ait, id esse vnicuique bonum, cuius gratia cetera operatur: idem lib. 1. Ethicor. ad Eudemum sub finem Ratio autem est, quia causalitas finis consistit in motione Metaphorica voluntatis, qua illam ad se allicit, nihil autem ad se allicit voluntatem, nisi quatenus bonum est: ergo bonitas est ratio mouendi voluntatem, ergo etiam est ratio, seu principium causandi finaliter. Minorem suppono, vt certam ex communi consensu Theologorum & Philosophorum, dicentium voluntatem non posse ferri in aliquid, nisi sub ratione boni, iuxta illud, Bonum est, quod omnia appetunt.

Malum vt malum possint causa esse finalis.

SED occurrit statim controuersia cum Ocham, & aliis Nominalibus, dicentibus posse voluntatem ferri in malum sub ratione mali. Ita Ocham in 3. qu. 13. dub. 3. Inclinat etiam Scotus in 1. d. 1. qu. 4. circa finem, & in 2. d. 43. qu. 2. Ex quorum assertione plane sequitur, malum vt malum posse etiam metaphorice mouere voluntatem, & consequenter habere causalitatem finis, nam si malum potest propter se amari, etiam poterunt alia amari propter ipsum, si ad illud obtinendum necessaria, & vtilia sint. Atq. ita fiet, vt non sit bonitas adæquata ratio, & virtus finis ad causandum finaliter, sed erit entitas, vel aliquid huiusmodi, vt Ocham significat.

Veruntamen hæc sententia antiquata est: & ab Scholis merito reiecta, vt pote repugnans cum Aristotelis, Dionysij, Augustini, D. Thomæ, & omnium recte sentientium consensu, vt patet ex Aristot. lib. 1. Ethic. c. 1. Dionysij. c. 4. de diuin. nom. August. 2. Confess. capite 6. & S. Thoma 1.2. qu. 8. artic. 1. & reliquis Theologis in 2. d. 43. Henric. quodlib. 1. quæst. 17. Vide etiam Greg. Niss. lib. de Opificio hominis, cap. 20. & Damasc. lib. 2. de fide, c. 22. Horum enim omnium axioma commune est, Neminem ad malum intendentem operari. Est quid ex experientia euidentissimum. Extractio est, quia esset inordinatissimè inlicita voluntatis facultas, si in totum qua malum est, ferri posset. Quid enim magis inordinatum esse potest, quam velle malum quia malum est? voluntas autem nihil potest appetit elicitio velle, nisi quod sit consentaneum alicui naturali inclinationi ipsius voluntatis, quia ex tali inclinatione nascitur omnis appetitio elicitio.